

Abijcitur autem primum sicut supra diximus sexagena secunda vna, tanquam decies sex sexagenæ, id est, decem integri circuli, Deinde etiam ex 14. sexagenis primis abijciuntur 12. sexagenæ tanquam duo circuli. Relinquitur ergo annuus motus  $\mathcal{D}$ . æqualis à  $\odot$ . 2. sexagenæ primæ 9. partes 37 1<sup>a</sup>, 22 2<sup>a</sup>, & reliqua scrupula suo ordine, quemadmodum infra etiam Canones nostri habent,

Postremo si quis δοκιμασίαν siue examen operis sui desiderat in hac parte logistiques, is vel iterato calculum instituat, vel sequentem partem consulat. Nam in hoc examine mutuas operas tradunt, multiplicatio & diuisio, perinde vt additio & subtractio.

μερισμός ἢ παραβολή.

D I V I S I O.

*Definitio.*

Diuisio est cum datis duobus numeris inæqualibus tertius quidam inuenitur, qui vel toties continet vnitatem, quoties maior minorem, uel toties ab vnitatem continetur, velut integro, quoties minor à maiori. Alter autem datorum numerorum vocatur diuidendus, alter diuisor, nec refert vter ex his maior sit, vel minor, Tertium vero qui ex his colligitur, alij quotum numerum, alij diuisorium, alij partitionis numerum appellant. Quando igitur diuidendus numerus maior est diuisore, manifestum est, quod & diuisorius vel quotus maior est vnitatem, sed cum minor est diuisore, quotus numerus euadit infra vnitatem, in aliquam speciem scrupulorum. Deinde sicut in multiplicatione, ita & in Diuisione quatuor existunt numeri proportionales, nempe vt diuidendus ad diuisorem, sic quotus numerus ad vnitatem velut integrum. Ex quibus hæc regula sumitur, quæ gubernatrix est omnium sequentium præceptionum de emergenti specie, quod in vniuersum partitionis numerus tantum distet ab integro, quantum à diuisore distat diuidendus.

*Regula vniuersalis.*

παραβολή.

Cæterum qui græca lingua logistiques præcepta tradiderunt vocant diuisionem etiam παραβολῶν appellationem mutuati à Geometris, qui cum iubent ad datam aliquam rectam lineam accommodare arcam datæ arcæ æqualem, vtuntur verbo παραβάλλειν. Quomodo autem hoc Geometricum problema congruat diuisioni numerorum alibi copiosè explicauimus.

*De specie emergenti.*

Deinceps autem dicemus, quæ species existat alia diuisa in quamlibet aliam, in quo præcepto nonnulli ante nos à scopo plurimum aberrarunt. Sit igitur rursus in conspectu Canonion illud, quod in eundem vsu in multiplicatione à nobis proponebatur.

4 <sup>a</sup>	3 <sup>a</sup>	2 <sup>a</sup>	1 <sup>a</sup>	0	1 <sup>a</sup>	2 <sup>a</sup>	3 <sup>a</sup>	4 <sup>a</sup>	5 <sup>a</sup>	6 <sup>a</sup>	7 <sup>a</sup>
Quartæ	Tert,	Secun,	Pri,	INTEGRA	Prima,	Sec,	Tert	Quart,	Quint,	Sex,	Sept.
											SCRVPVLA